Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 205

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler], Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. II (Cod. 201-316) (handschriftlich) [um 1800], 5.

Cod. CCV.

Chartac: Fol: Saec: 15. 2 47

1.

S. Augustini liber de conscientia. 1a–4a

Sancti Augustini liber de conscientia. Epigraphe sonat: "liber beati Augustini de conscientia"; manus autem alia aliam addidit inscriptionem, nempe: "dicitur quidem beati bernhardi de conscientia, et ex stilo illius tractatus videtur probabile." Ast neutrius esse mox apparebit. Initium operis est: "Domus hec in qua habitamus, ex omni parte sui ruinam nobis minatur." Idem ergo est opusculum, quod extat inter opera Hugonis a S. Victore /: Mogunt: Fol. 1617: / Tom: II. pag: 112. ubi librum tertium de anima constituit, ac de interiori domo inscribitur. Extat quoque inter opera S. Bernardi /: Paris: Fol. 1719 curante Mabillonio: / T. V. col. 348; sed a Mabillonio inter supposititia rejectum, cui nec Bernardi nec Hugonis, sed cujusdam monachi, Bernardo aequalis esse videtur. Pium tamen et utilem dicit esse tractatum, licet absque ordine, et methodo, ac maximam partem ex libro de cognitione humanae conditionis (a) sit compilatum.

Nota Ne mutilum opus hoc suspiceris, quia ea, quae hic desiderantur, in ultimis codicis hujus foliis invenies.

(a) Extat in Codd: CXLII. n: 8 et CLXV. n: 4.

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 205

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler], Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. II (Cod. 201-316) (handschriftlich) [um 1800], 6.

S: Gregorii Pp: Homiliæ XL in evangelia. 5a – 85b

2

S. Gregorii Papæ Homiliæ XL in evangelia. Præmittitur rubrica: "Incipiunt XL Omelie Sancti gregorij pape Omelia prima habita ad populum in Basilica beati petri." Prima est in illud evangelii: Erunt signa in sole &c: et incipit: "Dominus, ac redemptor noster." Extant eodem numero, ac ordine inter Opp: S. Gregorii edit: Maurian: Paris: 1705. T: I. Col: 1436.

S: Augustini Sermo de oratione dominica. 85b – 87b

3

S. Augustini Sermo de oratione dominica. Rubrica dicit: "Sermo beati augustini super dominicam oracionem videlicet pater noster". Incipit: "Considerandum est que nos orare dominus precepit." Et finitur: "Si enim dimisimus vel dimiserimus hominibus peccata eorum dimittet nobis pater noster." Est fragmentum ex S. Augustini libro II. de sermone Domini in monte secundum Matthæum, quod extat inter Opp: S. Augustini /: edit: Maur: / T: III. part: II. a col 206–216.

Ernesti I Archiepiscopi Pragensis Statuta provincialia. 87a – 110b 90b

4

Ernesti I. Archiepiscopi Pragensis Statuta provincialia, quae edidit, dum Sedes Pragensis dignitate archiepiscopali insigniretur. Statutis præmittitur præfamen hujus tenoris: "In nomine S. et individ: Trinit: &c: Arnestus dei et apost. Sedis gracia S. pragensis ecclesie Archiepiscopus

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 205

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler], Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. II (Cod. 201-316) (handschriftlich) [um 1800], 7.

universis prelatis &c salutem &c. Rex magni-
ficus qui facit mirabilia magna solus sue
munificencie Synum aperiens nuper nostram
pragensem ecclesiam per sanctissimum in
Xto patrem et dominum nostrum dominum
Clementem papam Sextum ad preces et so-
lertem instanciam Serenissimi principis et
(a) IV Imperat: domini nostri domini Karoli (a) tunc Mar-
chionis Moravie nunc urbis Roman. et Bo-
(b) Coron: 1347. 2. Sept: hemie Regem (b) in Metropolitanam erexit
et archiepiscopalis dignitatis tytolo insi-
gnivit Nosque super solium pastoralis
preeminencie ipsius pragensis ecclesie licet
imeritos sua tamen ac ipsius sedis apostoli-
ce dignacione locavit. Idcirco ex injuncti
nobis officii debito in hujus novitatis primor-
dio subditorum utilitati providere volen-
tes summam aliquorum canonum et constitu-
tionum provincialium Ecclesie Moguntine
que olym in nostra provincia tenebantur
ac eciam Statutorum Synodalium per nos et
nostros predecessores editorum. quas promo-
rum correccione et decisione causarum et
casuum frequencius occurencium magis uti-
les et transgressonibus periculosiores iudi-
camus ex unanimi consilio et assensu Suffra-
ganeorum &c: &c: plano et brevi Stilo, ut fa-
cilius possent memorie commendari in unum
libellum duximus redigendam". &c Finita
præfatione incipiunt statuta, quæ an typis
jam prodierint, an non, ignoro. Illud autem
mirum, hisce Statutis integrum librum Tho-
Thomæ de Hibernia liber de 3 punctis Xtianæ religionis. mæ Hibernici de tribus punctis Xtianæ re-
ligionis, qui incipit: Religio munda et im̄a-
culata |: de quo vide Cod: CXCIII. n 3:| inser-
tum legi una cum Subscripto, et clausula
authoris.

Ernestus ex nobili familia de Pardubicz,
anno 1343 primus creatus Archiepiscopus Pra-

-gensis obiit 1364. Plura huc pertinentia dant Hagecius in Chron: Bohem: ad ann: 1343. et Balbinus in Miscellan: histor: Bohem: Decad: I. lib: VI. part: II. pag: 42 ex Crugerio.

5.

S: Joann: Chrysost: Sermonis Fragmentum.

111a–111b

Fragmentum Sermonis S: Joan: Chrysostomi cum rubrica: "Sermo Crisostomi legitur per Ebdomadam LXX^e in matutinis feria secunda". Incipit: "Dignitas humane originis facile agnoscitur considerata sublimitate auctoris." Procul dubio decerptum ex homiliis in Genesin.

6.

S: Fulgentii Epis: Ruspens: liber de fide ad Petrum.

115a–124b

S: Fulgentii Episcopi Ruspensis liber de Fide ad Petrum, seu de regula veræ fidei. Codex quidem noster rubricam exhibet sequentem: "Incipit liber S. Augustini de Regula vere fidei ad petrum Diaconum"; sed falsam esse ostenderunt editores Mauriani in Opp: S^ti Augustini Tom: VI. in Append: col 18. uti et Editor: Opp: S: Fulgentii Venet: 1742 Fol: p: 226. et alii librorum censores, qui uno ore Fulgentio præsentem tractatum adjudicant. Prologus incipit: "Epistolam fili petre tue caritatis accepi." Duo hic notanda veniunt, primum; nomen Diaconi in epigraphe esse resecandum; longe enim alius est hic Petrus a Diacono cui Fulgentius librum de Incarnatione inscripsit: alterum; caput ultimum codicis nostri, nempe XLV. non esse S: Fulgentii, sed alterius ignoti; quæ omnia prædictas editiones consulenti clarius patefient.

S. Fulgentius Ruspensis in Africa Episcopus defunctus est /: juxta Norisium II. 24 hist: Pelag: & Pagium ad ann: 529. num: 12. :/ aō 533. Plura de ipso dabunt Bollandus Tom I. Januarii, Ittigius in Actis Erudit: A. 1684. Et editio Veneta in vita S. Fulgentii.

7

S: Augustini Enchiridion.
124b–144b

S: Augustini Enchiridion, seu liber de fide, spe, et charitate. Rubrica est: "Incipit liber Enchiridion S. Augustini Episcopi scribens Laurencio cupiens eum esse sapientem secundum Scripturas." Initium: "Dici non potest dilectissime fili Laurenti quantum tua eruditione delecter." Capitum numerus alius est, ac in edit: Maurian: T: VI. col: 195. caetera eadem.

8

Gennadii Massiliens: liber de ecclesiasticis dogmatibus.
144b–148b

Gennadii Massiliensis Presbyteri liber de ecclesiasticis dogmatibus. Rubrica quidem erronea dicit: "Incipit liber S. Augustini de ecclesiasticis dogmatibus"; sed jam manu coaeva in margine addidit: alij dicunt quod est geñady, et editores Benedictini Opp: S. Augustini T: VIII in Append: col: 75 asserunt: Liquet non esse Augustini, tametsi in codicibus bene multis ipsi adscribatur. Ibidem videsis variorum de authore hujus libelli sententias. Initium operis est: "Credimus unum deum esse Patrem et filium et spiritum S.

Gennadius floruit ante annum 495. Scripsitque S. Hieronymi exemplo librum de viris illustribus. Fabric: Bibl: m: & i: lat: T. 3. p: 30. et 31. in nota.

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 205

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler], Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. II (Cod. 201-316) (handschriftlich) [um 1800], 10.

Notata de resurrectione, et judicio. 148b–150a	**9** Notata de Resurrectione, et judicio sub hac præmissa rubrica: "Nota quedam bona de aliis libris Sanctorum extracta de resurreccione." Initium notaminis de resurreccione est: "Resurgent igitur corpora sanctorum ut ait Augustinus" &c. de judicio autem: "Sicut alios esse diximus". Pleraque desumta sunt ex libris S. Augustini, et Juliani Pomerii.
Cæsarii Arelatens: Ep: Sermo 150b–151b	**10.** Cæsarii Arelatensis Episcopi Sermo de honestate clericorum, seu, ut aliis placet, de fuga mulierum. Codex noster duplicem exhibet rubricam, unam: "Incipit liber S. Augustini de vita et honestate clericorum", alteram: "Incipit tractatus beati Augustini de honestate et fuga mulierum": Sed utramque falsam, nec enim tractatus dici potest, cum sit Sermo, nec S. Augustino adjudicandus; sed Cæsario Arelat: ut docent edit: Benedict: Opp: S. Augustini. T. V in Append: Col: 488. ubi inscribitur de incauta familiaritate extranearum mulierum. Ceterum Sermonis initium est: "Nemo dicat fratres (a) quod temporibus nostris martirii certamina esse non possunt".
(a) in editione: carissimi.	Cæsarius ex Abbate Lirinensi Episcopus Arelatensis obiit ao 542. Fabr: Bibl: med: & inf: lat: T. I. p. 317.
S. Augustini Sermo de contemptu mundi 151b–153a	**11** S. Augustini Sermo de contemptu mundi cum rubrica: "Augustinus de contemptu mundi." Incipit: "Audite fratres karissimi salutiferam patris nostri doctrinam". Non esse

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 205

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler], Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. II (Cod. 201-316) (handschriftlich) [um 1800], 11.

S. Augustini, sed incerti authoris asserunt edit: Benedictini Opp: S. Aug: T. VI in App: col: 293.

12.

S: Augustini libri duo de visitatione infirmorum. 153a–158b

S: Augustini libri duo de visitatione infirmorum. Absque titulo opus inchoatur: "Visitationis gracia nepoti meo karissimo morienti extremum valedicturus hesterna die processi". In codice nostro praecedenti Sermoni annexum scribitur, ac si ejusdem esset authoris; sed in edit: Mauriana T. VI. in App. Col: 253 authoris incerti esse dicitur.

13.

S: Augustini liber de vita contemplativa. 158b–160b

"S: Augustini liber de vita contemplativa", ita codicis nostri Rubrica, sed perperam; ab editoribus enim Maurian: rejectus est in Tom: VI. Append: col: 75. Opp: S. August: hac inscriptione de diligendo Deo, ibique in prævia admonitione notant, authorem præsentis libri plurima decerpsisse ex Opp: Anselmi, Bernardi, et Hugonis a S. Victore. Vincentium quoque Bellovac: cap: 23 Speculi natur: nonnihil ex capite 8. hujus libri citare nomine Petri Comestoris. Opus incipit: "Vigili cura mente sollicita"; ac fusius habetur in præfata editione, quam in codice nostro.

14.

Fastidii Britonis liber de vita Xtiana. 160b–174a

Rubrica codicis est: "Incipit liber beati Augustini de vita Xtiana". et opus incipit: "Ego Augustinus primus peccator. Sed Fastidii Britonis partum esse jam ostendimus Cod. CXCIV. n. 5.

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 205

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler], Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. II (Cod. 201-316) (handschriftlich) [um 1800], 12.

15.

Alcheri Cisterciens: liber de Spiritu et anima.

174a–192b

Alcheri Cisterciensis liber de Spiritu et anima. Rubrica quidem codicis nostri adscribit hunc librum S. Augustino, sed erronee; nam continet collectanea ex Augustino, Gennadio, Boethio, Alcuino, Hugone a S. Vict. Bernardo &c: eamque ob caussam ab edit: Benedict: Opp: S. Augustini in Append: T: VI locatur col: 35., et Alchero Monacho Claravallensi /circa añum 1147:/ adjudicatus est. Initium operis est: "Quoniam dictum est mihi ut me ipsum cognoscam", et continet capita quinquaginta praefata editionis Maurin: priora; caetera autem tam in codice nostro, quam in edit: Opp: Hugonis a S. Vict: 1617. Mogunt: T: II. p: 96. ubi librum secundum de anima constituunt, desiderantur.

16

S: Augustini liber de beato latrone.

192b–194b

"Incipit liber beati Augustini de beato latrone", haec rubrica est; initium vero operis: "Deus erat in Xto mundum reconcilians." Cujus sit hic liber /: sermonem potius dixerim:/ ignoro. Inter opera S. Augustini peculiari nomine non comparet, unde si illius est, prolixioris certe fragmentum erit. Ast stilus alium omnino prodit authorem, sane non ineptum, nec latinae dictionis ignarum; sive Ambrosii sit, sive Leo M. sive alius futura fors dabit discussio.

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 205

Österreichische Akademie der Wissenschaften, Institut für Mittelalterforschung, Abteilung Schrift- und Buchwesen: manuscripta.at - Mittelalterliche Handschriften in österreichischen Bibliotheken
Permalink: manuscripta.at/?ID=27541

Hill Museum & Manuscript Library, Saint John's University, Collegeville MN, USA - Online manuscript description:
OLIVER - Online manuscript description (HMML)